



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Geuardo Abbate, quem dominus Euchardus plebanus Sancti Iacobi in
Colonia, ante conuersionem, in cuculla vidit, cap. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Philip. 1. cū cuperet dissolui & esse cum Christo, diceretque
Psal. 41. quotidie in oratione: Quando veniam & apparebo
Isaia 33. ante faciem Dei? vox illi diuina respondit: Regem in
 decore suo videbunt oculi tui. Qui cū moreretur,
 stella lucida de clara super locum migrationis eius
 apparuit, ita vt in tota illa prouincia videretur. **APO-**
LONIVS: Satis credibile est, quod visio stellæ illius ra-
 diantis, meritum designauerit animæ egredientis.
CÆSARIVS: Rectè moueris. Hoc autem scias, quod ra-
 rissimè contingit, vt sole existente in superiori hemi-
 sphærio stella aliqua videatur: quòd verò super mo-
 rientem stella visa est, signum fuit, quòd sancta illa
 anima in magna virtutum celeritate Christo soli iu-
 stitiæ coniuncta est. **APOLLON.** Non miror si Deus
 eos, quos tam euidenter ad conuersionem vocat, tam
 excellenter in morte glorificat. **CÆSARIVS:** Dicam ti-
 bi adhuc conuersionem vnius monachi, in qua per-
 pendere poteris, quia ibi sola operata sit vocatio siue
 inspiratio Spiritus sancti.

CAPVT VII.

IN Ecclesia sanctæ Mariæ ad gradus in Colonia
 erat quidam canonicus nomine Geuardus, ætate
 adhuc floridus, & mundi vanitatibus satis deditus:
 in quadam solennitate, cū statio esset ad eandem
 ecclesiam secundum consuetudinem, affuit & domi-
 nus Euerhardus sancti Iacobi plebanus, vir iustus at-
 que religiosus, & propter suam sanctitatem omni ci-
 uitati reuerendus: qui cū venisset ante ostium
 chori, & introspeisset, contemplatus est eundem Ge-
 uardum in tonsura & habitu monachi Cisterciensis,
 inter concanonicos suos stantem, & miratus valde,
 dicebat intra se: O factus est Geuardus monachus? Et
 cū intellexisset postea visionem fuisse, hoc de illo
 in corde suo iudicauit, quod postea rei euentus pro-
 bavit. Et quia consilium diuinæ dispositionis mu-
 tari non potest, omnimodè in illo compleri necesse
 fuit, quod de eo Deus præostendit. Modico elapso
 tempore idem iuuenis, non sine multorum admira-
 tione, valedicens seculo, conuersus est in Claustro,
 factusq;

factusque nouitius in eodem cœnobio. Quod cùm cognouisset prædictus sacerdos, Hemmenrode venit, & Geuardum uisitauit, & quid de illo uiderit, omnibus nouitijs recitauit. Hæc mihi dicta sunt a nonno Frederico monacho, qui tunc præfens fuit, cùm uir sanctus ista perorauit. Idem Geuardus postea in tantum profecit, ut domino Hermannō primo uallis sancti Petri Abbati succederet, & non modicum per eum locus ipse, tam in religione quam in possessionibus, proficeret. Quod si tibi minùs suffecerint hæc noua exempla, referam tibi etiam de uerbis sancti Bernardi testimonia satis uera. APOLLONIVS: quæ nondum legi, audire delectat.

CAPVT VIII.

CÆSARIVS.

DVM ingressus fuisset aliquando regnum Germania sanctus Bernardus Abbas, pacem reformaturus inter Lotharium regem Romanorum, & prædecessoris eius Henrici nepotes, Maguntinorum Episcopus, Albertus nomine, Clericu suum Masselinum, sic ei nomen erat, obuiam ei misit; qui cùm se missum diceret a domino suo ad seruiendum ei, paulisper eū intuitus uir Dei dixit: Alius Dominus te misit ad seruiendū sibi. Et cùm ille ad uerba sancti expauesceret, se asserēs ab Episcopo missum, respōdit beatus Bernardus: Falleris, maior Dominus misit te Christus. Tunc primū intelligens, quorsum sermonem vibraret, ait: Puras me monachum uelle fieri? absit à me, nec cogitauit, nec ascendit in cor meum. Nilominus tamen illo reuente, famulus Dei affirmabat omnino fieri debere, non quod ipse de se cogitauerit, sed quod Deus de illo disposuit. Qui in eodem conuersus itinere, ualedicens seculo, factus est monachus in Claraualle. Ecce ubi in isto uoluntas conuertendi, in quo sola operata est uoluntas Spiritus sancti? APOLLONIVS: Placet quod dicis, sed dic quæso exemplum de hoc, quod quidam è conuerso conuertantur, solo instinctu spiritus maligni. CÆSARIVS: exemplum præstò est.

CAPVT